B 86

Legimus in ecclesiastica hystoria beatum iohannem a domiciano impiissimo cesare in pathmos insulam relegatum, exilio deportatum, metallo dampnatum ob insuperabilem ewangelii predicationem, ut ibi forsitan secreta marmorum vel terra[illegible] aut hiis similibus preceptis deserviret corporalibus, sicut legimus factum in passionibus sanctorum martirum. Ubi quantomagis putabatur vinciri custodia humana, tantomagis metas humanitatis transcendens meruit videre celestia. Et cui terrena negabantur spacia terrarum excedere, secreta sunt concessa penetrare celestia. Et quantomagis destitutus est humano solacio, tanto ei affuit divinum. Ibique meruit videre hanc propheciam de statu presentis et future ecclesie, que inter reliquos novi testamenti libros prophecia nominatur, sicut in consequentibus dicitur: beatus qui legit verba prophecie huius. Sed tanta distancia est inter hanc propheciam et eam que revelata est ante adventum domini, quanta distancia est inter servum et dominum, inter legem et ewangelium, inter deum et hominem. Quia quod illi cernebant a longe venturum, hoc iste iam ex parte manifesta factum et in presenti faciendum ostendit. Nam sicut beatus iohannes baptista idcirco maior habetur omnibus prophetis, quia quem illi predixerunt iste digito demonstravit, ita et hec prophecia maior est omnibus, quia ea que antiqua prophecia revelanda predixit, hec revelata ostendit. In hac autem revelacione mixtim hystoricum et archanum dictum, quod ipsa verba si subtiliter inspiciuntur docere probantur. Neque enim hoc fieri potest, ut pauca e multis dicamus, quod videlicet viderit equos in visione, quorum ascensores haberent loricas igneas et iacinctinas et sulphureas. Tria namque genera visionum patres nostri intelligenda dixere. Primum scilicet corporale, sicut videmus per oculos corporis celum et terram, solem et lunam ceteraque huiusmodi. Secundum spirituale, quod fit in extasi, id est in excessu mentis, sive vigilantibus sive dormientibus viris, quando non res corporales sed similitudines rerum corporalium intuentes futura ibi presagiunt misteria. Quod genus visionis commune est iustis et reprobis, sicut nabuchodonosor vidit lapidem precisum de monte sine manibus, et sicut pharao septem boves crassos septemque spicas plenas et cetera. Sed uterque quod viderant non intellexit, nisi et ille daniel et iste ioseph misterium visionis revelasset. Nec mirum si reprobi in hiis obscuritatibus solucione indigeant, cum etiam daniel non intelligens quid significarent quattuor venti qui pugnabant in mari magno, accesserit ad unum de astantibus et quesierit ab eo de hiis omnibus. Tercium genus est intellectuale, quod non fit per corporales res neque per similitudines, sed ipsa veritas in mente manifestatur viden-

Pertinet ad conventum fratrum ordinis sancte crucis in dusseldorp.

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF